

cognitione prædicati in nobis probat ex diversitate specierum, & sic ait: *Quod quidem in intellectu non contingit propter hoc, quod species intelligibilis sic representat unum, quod non representat aliud.* Et in hac quaest. 58. art. 2. asserit de Angelis, quod omnia illa simul possunt intelligere, quæ una specie representantur, non tamen illa, quæ diversis representantur.

Secundo: Angelus aliquando cognoscit extrema diversi ordinis, naturalis videlicet, & supernaturalis: ergo tunc datur duplex cognitio & conceptus. Antecedens est certum, & constat in hac propositione, *D. Petrus est prædestinatus.* Consequentia verò probatur: nam eadem cognitio idemque conceptus nequit esse naturalis & supernaturalis; sed subiectum petit cognitionem & conceptum naturalem, & prædicatum supernaturalem: ergo dabitur duplex cognitio & conceptus.

Solutio harum & aliarum objectionum pendet ex intelligentia cuiusdam questionis summatitice, nempe: *An propositio mentalis sit simplex qualitas?* Circa quam duplex inter Thomistas & extraneos versatur sententia: Prima ait, non esse simplicem qualitatem; quod est idem ac dicere, quod ad propositionem mentalem concurrunt non solum præsuppositivæ, sed etiam formaliter, duplex species, duplex cognitio, & duplex verbum seu conceptus, quibus attinguntur subiectum & prædicatum propositionis extrinsecæ. Iuxta quam sententiam respondetur, hanc esse differentiam inter hominem & Angelum, quod est Angelus habeat plures species, medijs quibus potest pro suo libito attingere subiectum una cognitione, & alia distincta & disparata prædicatum; at quando cognoscit propositionem, cognoscit subiectum, copulam, & prædicatum unice tantum cognitione & specie expressa. Nam est detur duplex species impressa, utraque adunatur ab intellectu, ut eliciat univiam illam cognitionem, ad quam unaquæque concurret partialiter. Contrarium evenit homini, qui propter suam imperfectionem non tantum duplici specie, sed etiam duplici cognitione cognoscit subiectum & prædicatum, iuxta quod facillimo negotio fatissit objectioni.

Secunda, & certè probabilior, asserit, propositionem mentalem esse simplicem qualitatem; iuxta quam magis videtur obiectio. At D. Thomas illam proponit hoc modo: Primò homo attingit simpliciter apprehensione subiectum, & alia prædicatum, itaut simpliciter intuitu nequeat attingere primò utrunque: postea ex speciebus subiecti & prædicati format tertiam speciem utrunque per se primò representantem: sicut, ut ait Mag. Angelic. ex speciebus montis & auris format aliam tertiam representantem montem aureum, & ex speciebus generis & dif-

ferentia format aliam tertiam representantem totam speciem. Media autem hac specie, vel illis primis adunatis attingit subiectum, & prædicatum æque primò vel per affirmationem, vel negationem, & in hac cognitione simpliciter, connotante tamen necessarîo illam duplicem apprehensionem, consistit compositio, & divisio for- malis intellectus.

Quo supposito: Angelus distinguitur ab homine quoad hoc in duobus. Primò: quia omnis cognitio Angelica est iudicativa, & non solum apprehensiva: nam quamvis possit duabus speciebus, & duabus cognitionibus pro suo libito attingere subiectum & prædicatum seorsim, id est, extra propositionem, ut cerne- re licet in extremis huius propositionis, *Homo non est lapis*, adhuc cognitio hominis est iudicativa, & similiter cognitio lapidis. Secundo: quia quando hic & nunc attingit illa extrema coadunata, non tangit illa æque primò, sed prædicatum cognoscit in subiecto, & per speciem subiecti; & hac ratione compositio, seu divisio formalis non habet locum in eo. Si verò prædicatum est supernaturale, & subiectum naturale, in prædicato cognoscit subiectum, quia ab illo unice specificatur, iuxta quam doctrinam intelligendus est D. Thomas locis cita- tis.

§. VII.

Cuidam interrogationi fit satis

172 **P**RO complemento doctrinæ traditæ in tota hac disputatione Inquires, per quam speciem Angelus cognoscit sua accidentia? Hoc videbatur desiderari ad perfectam notitiam omnium intelligibilium, quæ ab Angelo cognoscuntur. Ad hoc respondendum est, quod Angelus cognoscit accidentia sive in se, sive in alio existentia per speciem representantem essentiam obiecti cogniti. Hæc resolutio (quæ tantum procedit de accidentibus naturalibus) videtur expressa D. Thomæ quodlib. 7. art. 3. ad 1. ubi ait: *Sicut per unam speciem concretam potest cognoscere diversa individua, ita etiam multo amplius potest per unam cognoscere quidquid est in uno individuo, ut non oporteat cum aliam speciem habere: non qua cognoscit colorem & odorem omnis pomi, sed simul cognoscendo hoc pomum, cognoscit quidquid est in pomo illo & essentialiter, & accident aliter.*

Ratione verò probatur: nam species Angelica est participatio divinæ essentia, secundum quod habet rationem speciei intelligibilis: ergo sicut essentia divina representat essentiam cuiuslibet rei cum omnibus suis accidentibus, ita species Angelica. ¶ Et confirmatur primò: Nam quia species Angelica est univialis, representat

Dub. VIII. An Angelus possit simul

intelligere plura ut plura &c.

intelligere plura ut plura &c. sed etiam individua: ergo etiam representat essentiam rei cum omnibus suis accidentibus. ¶ Confirmatur secundo: Nam iuxta D. Thomam loco supra relato per eandem speciem, qua representatur causa, representantur effectus ipsius, etiam si sint contingentes, dummodo actu existant: ergo per speciem representantem aliquam naturam atomam, & eius in livida possunt representari cuncta accidentia in eo actu existentia. Patet consequentia: nam omnia accidentia sunt effectus prædicatæ naturæ sive per modum principij activi, sive per modum principij passivi.

173 Sed obijcies: Nam si species angelica representans naturam representaret omnia accidentia illius adhuc contingentia, representaret simul rationes inter se oppositas & repugnantes, v. gr. albedinem & nigredinem, ferri- onem & stationem, vitam & mortem, quæ eidem naturæ successively insunt; hoc non coheret cum natura speciei angelicæ, quæ, cum sit univ- ersalis, nequit tantam varietatem accidentium re- presentare: ergo species angelica representans naturam alicuius rei nequit representare acci- dentia illius contingentia, etiam si actu existant. Adde: Nam si representaret simul substantiam & accidentia, esset in esse intelligibili substantia & accidens: siquidem species est in esse intelli- gibili id quod representat; hoc videtur repug- nans: ergo.

Ad objectionem respondetur concedendo maiorem, & negando minorem: Nam non est contra univocitatem speciei angelicæ, ut simul & univociter repræsentet rationes illas op- positas tanquam obiecta partialia, quia hoc pe- tit eminentia illius speciei. Unde hæc repræsen- tatio variorum accidentium & eventuum, est sub diversis temporibus, non est cum varie- tate se tenente ex parte speciei, sed præcisè ex parte obiectorum, ut supra diximus de futuris, dum actu existunt, & de cogitationibus cordis, dum actu dirigunt ad Angelum. ¶ Ad addita- mentum respondetur, quod species non est eius- dem naturæ in esse intelligibili nisi cum obiecto primario, ut diximus dub. 4. accidentia autem tantum sunt obiectum secundarium speciei an- gelicæ, & natura obiectum primarium: unde ex hac parte non est, cui repugnet ei, quod representet naturam cum omnibus suis acciden- tibus.

Ex dictis inferitur primò, quod substantia Angelii cognoscens representat actus liberos illius, & consequenter species accidentalis exi- stens in vno Angelo, & representans essentiam alterius, representat omnia accidentia illius, necnon actus eius liberos. ¶ Inferitur secundo, Demones per suam essentiam representare & cognoscere proprios cruciatus, ut supra dixi- mus in hoc eodem dubio: ad quod sufficit, quod

intelligere plura ut plura &c.

intelligere plura ut plura &c. sed etiam individua: ergo etiam representat essentiam rei cum omnibus suis accidentibus. ¶ Confirmatur secundo: Nam iuxta D. Thomam loco supra relato per eandem speciem, qua representatur causa, representantur effectus ipsius, etiam si sint contingentes, dummodo actu existant: ergo per speciem representantem aliquam naturam atomam, & eius in livida possunt representari cuncta accidentia in eo actu existentia. Patet consequentia: nam omnia accidentia sunt effectus prædicatæ naturæ sive per modum principij activi, sive per modum principij passivi.

DISPUTATIO III.

De voluntate Angelis.



Inicis his, quæ ad Angelum intel- lectum spectant, quæ ad volunta- tem eius pertinent, examinanda veniunt. In quo plures & gravis- simæ questiones solent excitari. In hac autem disputatione intersecabimus ea, quæ sunt propria voluntatis Angelicæ.

DUBIUM I.

Verum Angelus intelligat, & amet se, & Deum finem naturalem omnino necessariò

D. Thomas in præf. quaest. 18. art. 1. inquit: *Verum intellectus Angelii quandoque sit in potentia, quandoque in actu.* Et quaest. 60. art. 1. interrogat: *Verum in Angelo sit amor & dilectio naturalis.* Ad hos articulos explicandos, excitamus cum communi calculo Doctorum dubium in titulo propositum, cuius resolutio preparat viam ad ea, quæ dicenda sunt in dubio sequenti. Sed supponimus primò, Angelum nulla obiecta extrin- seca cognoscere necessarîo quoad exercitium: quia nulla est necessitas, ob quam Angeli debeant esse semper in actuali cognitione omnium rerum naturalium. Videatur insuper D. Thomæ quaest. 16. de Mal. art. 6. ad 4. ubi hoc expressè docet. ¶ Potiori titulo supponimus (se- cundo) Angelum non diligere necessarîo omnia obiecta naturalia & supernaturalia. Ita colligitur ex D. Thomæ quaest. 60. supra relata art. 2. Et ratio huius est: quia imprimis finem super- naturalem non amat necessarîo, nisi in statu beatitudinis; deinde alia obiecta non habent nec- cessariam connexionem cum fine naturali, aut supernaturali: ergo non amat necessarîo omnia obiecta naturalia, & supernaturalia. Præsertim quia in Angelo est liberum arbitrium: ergo oportet, quod illud exerceat circa aliqua obiecta: ergo saltem circa omnia obiecta naturalia & supernaturalia præter seipsum, & Deum fi- nem naturalem, & supernaturalem in statu bea- tifico. ¶ Supponimus tertio, Angelum amare se necessarîo quoad specificationem: quia est de- terminatus ad suum esse, ut nequeat habere odium sui, ut pluribus in locis docet D. Tho- mas. Unde difficultas solum est, an cognoscat,

& amet se, & Deum finem naturalem necessarium quoad exercitium?

§ I.

Quadruplex assertio.

2 Dicendum est primo, Angelum necessarium quoad exercitium se cognoscere. Hæc conclusio colligitur ex Div. Thoma quæst. 8. de Verit. art. 6. ad 7. ubi ait: *Intellectus Angelis non est in potentia respectu essentia eius, sed respectu eius semper est actus.* Et art. 14. ad 6. ait: *Mens Angelis semper se actualiter intelligit: quod idem contingit, quia mens Angelis intelligit per essentiam suam, quæ semper informatur.*

Et probatur ratione fundamentali, quam expendunt N. Salm. in præf. disp. 9. num. 57. & reducitur ad hæc foriama: nam Angelus petit necessarium esse in actuali cognitione alicuius obiecti; sed nullum est aptius, quam ipse Angelus; ergo est necessarius quoad exercitium ad cognitionem sui. Minor videtur innegabilis, quia nullum est obiectum sibi magis proportionatum, sibi que magis unicum. Maior vero probatur nam Angelus est sufficienter constitutus in actu primo ad cognoscendas alias quæcumque res naturales; sed non esset huiusmodi, nisi esset in actuali cognitione alicuius obiecti; ergo petit necessarium esse in actuali cognitione alicuius obiecti. Maior est certa: quia ad actualitatem & perfectionem Angeli pertinet, ut sit sub actu primo perfectio & completo ad omnes res naturales cognoscendas; & propterea infunduntur ei omnes species ab initio lux creationis. Minor probatur nam Angelus nequit se movere ad alias res cognoscendas nisi in vi alicuius motu præcedentis, quia ut aliquid se moveat, necesse est assignare in eo partem aut quæ partem per se motam, & partem aut quæ partem per se moventem: quod difficile assignaretur, nisi præcederet aliquis actus necessarius, in vi cuius posset moveri ad alias res cognoscendas: ergo Angelus non esset sufficienter constitutus in actu primo ad cognoscendas alias quæcumque res naturales, nisi esset necessarius in actuali cognitione alicuius obiecti.

Explicatur hoc: nam omnis motus debet reduci in alium primum motum determinatum ab ipsa natura, qui sit causa cæterorum, & propterea omnes motus vitales animalis reducuntur ad motum cordis, qui procedit à natura velut proprietatis illius, ipsi que semper convenit: ergo similiter omnis cognitio naturalis Angeli debet reduci in aliam primam cognitionem, quæ se habeat velut proprietatis illius; sed nulla aptior potest assignari, quam cognitio sui ergo.

Explicatur magis: Nam Angelus est indifferens & liber ad cognoscendas alias quæcum-

que res, & ad verbum his speciebus potius quam alijs: ergo debet præsupponi cognitio alicuius, in vi cuius possit excitari ad eas cognoscendas: ergo debet præsupponi cognitio sui. Hæc ultima consequentia patet ex prima, & prima ex antecedenti: Nam omnis libertas supponit aliquam cognitionem.

Confirmantur hæc omnia cum D. Thoma 2. Contra gent. cap. 92. nam omnis substantia vivens necessario debet habere aliquam operationem vite, respectu cuius semper sit in actu secundo, licet in ordine ad cæteras operationes vite sit in potentia: sic videmus, quod animalia semper sunt cum motu cordis, & forte cum motu nutritionis, si et non semper sentiant. Sed Angeli sunt substantia nobilissima & viventes, & non habent aliam operationem vitalem præter intelligere & velle: ergo semper sunt necessario in actu secundo intelligendi aliquid obiectum; sed hoc nequit esse aliud præter suam substantiam, quæ inter omnia intelligibilia est ei valde connaturalis: ergo necessario seipsum intelligit.

3 Dicendum est secundo, Angelum necessarium quoad exercitium cognoscere Deum Authorem & finem naturalem. Hæc conclusio evidenter colligitur ex præcedenti: nam Angelus, si cognoscit se necessario quoad exercitium, etiam comprehendit se necessario quoad exercitium, quia par ratio est ad unum, ac ad aliud: ergo nequit se necessario cognoscere, nisi eadem necessitate cognoscat omne id, quod ad sui comprehensionem requiritur; sed nequit se comprehendere, nisi cognoscat per eandem cognitionem Deum Authorem naturalem: ergo necessario quoad exercitium cognoscit Deum Authorem naturalem. Minor subsumpta probatur: nam ad comprehensionem alicuius obiecti requiritur cognitio omnis formalitatis & habitudinis necessariæ illius; sed Angelus dicitur habitudinem necessariam ad Deum suum Authorem naturalem: ergo necessario debet cognoscere hanc habitudinem; sed hæc habitudo nequit cognosci necessario, quin necessario quoad exercitium cognoscatur, terminus illius: ergo.

4 Dicendum est tertio, Angelum necessarium quoad exercitium diligere se. Hæc conclusio colligitur ex D. Thoma quæst. 60. huius primæ partis art. 1. & art. 3. Et probatur ratione Div. Thomæ deducta ex quæst. 16. de Malo art. 2. ad 6. Nam Angelus cognoscit se necessario quoad exercitium: ergo etiam amat se necessario quoad exercitium. Consequentia probatur: nam operatio voluntatis debet esse omnino proportionata cum operatione intellectus, ita id exigente sympathia, quæ datur inter hæc duas potentias: ergo si Angelus intelligit se necessario quoad exercitium, etiam debet se amare necessario quoad exercitium. Accedat nunc Div. Thomas loco citato: *Quantum ad hoc* (inquit)

ope

operatio eius incommutabilis est, quod semper intelligit. Et similiter considerandum est circa voluntatem, quæ operatio proportionatur operationi intellectus.

Roboratur hoc: Nam ex eo quod Angelus seipsum necessario semper intelligat, necessario sequitur, quod velle seipsum semper intelligere; sed nequit velle seipsum intelligere, quin velle seipsum amare: ergo si necessario seipsum intelligit, etiam eadem necessitate seipsum amat. Consequentia est legitima: ut minor est certa: nam idem est velle sibi aliquam perfectionem, ac se amare: vnde cum intelligere se sit maxima perfectio Angeli, si hæc necessario quoad exercitium diligit, etiam necessario quoad exercitium se amat. Maior probatur: nam ad omnem actum intellectus circa obiectum amabilem necessario sequitur aliquis actus voluntatis; sed ad actum necessarium, quo seipsum intelligit, nequit habere actum, quo velit non intelligere: & ut supponitur ergo necessario sequitur actus, quod velit seipsum intelligere.

5 Probatur secundo ratione. Nam tunc voluntas est necessaria quoad exercitium ad diligendum aliquid obiectum, quando ex parte illius nulla apparet ratio mali positivi, aut ex parte ipsius exercitij; sed ita se habet Angelus in ordine ad seipsum: ergo Angelus est necessarius quoad exercitium ad dilectionem sui. Minor quoad primam partem facile conceditur ab Adversarijs, cum uniformiter nobiscum teneant, Angelum esse necessarium quoad specificationem ad sui dilectionem, quod non posset stare, si appareret respectu sui aliqua ratio mali positivi. Quoad secundam verò partem probatur: nam nequit ex parte exercitij apparere aliqua ratio mali, nisi in ipso exercitio apparet aliquid fastidij seu molestiæ, vel ipsam exercitium sit impeditivum alterius nobilioris exercitij; sed neutrum dici potest: non primum, nam amor proprius non generat Angelo fastidium, sed delectationem: nec secundam, quia amor sui non impedit, sed potius iuvat ad dilectionem Dei: ergo nulla apparet ratio mali positivi, aut ex parte sui, aut ex parte exercitij.

Roboratur hoc: Nam propter nos apprehendere possumus in exercitio nostræ voluntatis aliquid fastidij & molestiæ, quia dum sumus in via, omnes actus exercentur dependenter à potentij sensitivæ, quæ agendo repantur, quæ repantio potest apprehendi ut laboriosa, atque ita fastidij: quæ ratione voluntas nostra est libera quoad exercitium ad dilectionem sui; sed hoc non habet locum in Angelo: ergo.

6 Dicendum est quarto, Angelum esse necessarium quoad exercitium ad diligendum Deum Authorem naturalem. Ita colligitur ex D. Thoma quæst. 60. art. 5. Et probatur primo ratione: nam Angelus diligit se necessario quoad

exercitium: ergo etiam Deum Authorem naturalem. Consequentia probatur: nam Angelus dilectione naturali plus diligit Deum, quam seipsum: ergo si diligit se necessario quoad exercitium, etiam Deum Authorem naturalem. Patet consequentia: nam voluntas, dum diligit necessario operatur, quantum potest. Antecedens verò probatur: nam pars magis amat bonum totius, quam suum; sed Deus habet rationem boni per modum totius continentis omne bonum, & Angelus comparatur per modum boni particularis & partialis: ergo plus amat Deum, quam seipsum. Et confirmatur: Nam charitas perficit naturam Angeli iuxta modum ipsius Angeli; sed charitas in Angelo magis inclinatur in dilectionem Dei, quam in seipsum: ergo naturali & necessaria dilectione plus diligit Deum, quam seipsum. Videatur D. Thomas loco proxime relato.

7 Probatur alia ratione satis fundamentali, quæ est maior expensio rationis propositæ numer. 2. & maior confirmatio conclusionis præcedentis. Quæ ut melius capiatur, tria sunt notanda. Primum est, quod Angelus ob sui naturalem perfectionem & actualitatem petit, ut ab initio suæ productionis habeat, quidquid pertinet ad constituendum eum in actu primo ad hoc, ut absque speciali applicatione Dei possit facile & promptè prorampere in omnes suas operationes. Per quod distinguitur ab homine, qui est per motum specialiter à Deo respectu primæ operationis; atamen, quia est magis potentialis quam Angelus non petit tantam actualitatem, ut semper sit in actu primo ad movendum se.

Secundum est, quod ut voluntas Angeli seu hominis sit factis constituta in actu primo, requiritur, quod sit in actu respectu intentionis finis. Et ratio est: quia voluntas non movet se ad media, nisi ex intentione finis; iuxta illud commune proloquium Philosophorum & Theologorum, quod ita se habet finis in agibilibus, sicut prima principia in speculabilibus. Vnde sicut intellectus movetur specialiter à Deo ad assensum primi principij, ita debet specialiter moveri à Deo ad primam dilectionem & intentionem finis. Et si Angelus perit ob sui actualitatem esse semper in actu, ad hoc ut possit se movere ad omnes alias operationes ad differenciam hominis sequitur, quod semper & incessanter sit in dilectione & intentione finis. Pro quo habendum est etiam ante oculos id, quod diximus num. 2.

Tertium est, quod voluntas Angeli ratione suæ maxime actualitatis & perfectionis non solum petit esse semper in actu volitionis respectu boni in communi per modum ultimi finis, sed etiam respectu Dei ultimi finis in particulari. Et ratio huius desumitur primo ex discrimine, quod datur inter hominem, & Angelum; nam homo ratione suæ potentialitatis incipit ab

Gg

vni.

universalioribus, videlicet, à ratione entis, & à ratione boni in communi, & hac ratione satis constituitur in actu primo ad movendum se ex proprio motu ad omnia intelligibilia & diligibilia in particulari, si à Deo specialiter moveatur ad cognoscendum ens in communi, & ad intentionem beatitudinis in communi. Angelus verò ob suam excessivam actualitatem petit, ut habeat cognitionem & amorem ultimi finis in particulari. Secundò desumitur ex eo, quòd intentio cuiusvis alterius finis in particulari esset mala, ob quam rationem non potest ad eam moveri specialiter à Deo. Aliunde sicut Deus ultimus finis in particulari est, qui primò proponitur Angelo, ut constat ex dictis conclusionibus secundà; ita Deus ultimus finis in particulari debet ab Angelo primò amari.

8 Ex his formatur ratio satis fundamentalis huius quartæ assertionis: nam Angelus ex natura sua petit, quòd producat à Deo cum omnibus requisitis ex parte actus primi completi & adæquati ad movendum se in omnibus operationibus naturalibus, tam ex parte intellectus, quam ex parte voluntatis; sed ut constituitur in actu primo completo ad movendum se in omnibus suis operationibus, petit, quòd producat à Deo sub actu dilectionis ipsius super omnia: ergo petit semper & incessanter esse sub actu dilectionis Dei finis naturalis super omnia: ergo amor Dei finis naturalis est Angelo omnino necessarius. Hæc ultima consequentia legitime deducit ex prima: & prima ex antecedenti. Maior constat ex primo notabili, & minor ex secundo, & tertio.

§. II.

Opposita sententia cum suis fundamentis.

9 **C**ontra primam, & secundam conclusionem sentit Vazquez disp. 219. cap. 3. num. 8. Et arguitur primò: Nam qualibet virtus Angeli est finita & limitata; sed est contra rationem virtutis finitæ & limitatæ esse necessariò in actuali consideratione alicuius obiecti: ergo Angelus non est necessitatus ad actualem considerationem sui, & Dei Authoris naturalis. Probatur min. nam virtus finita & limitata est potentialis; sed de ratione virtutis potentialis est, quòd possit separari ab actu secundo: ergo est contra rationem virtutis finitæ & limitatæ esse necessariò in actuali consideratione alicuius obiecti.

Et confirmatur primò: Nam ad perfectionem Angelii spectat, eius operationes vitales esse liberas, & voluntarias: ergo & quòd possit cessare ab omni cognitione, & consequenter à consideratione sui. ¶ Confirmatur secundò: Nam licet Angelus esset necessitatus ad aliquam

actualem cognitionem, non opus esset, quòd necessariò esset determinatè in aliqua, sed vagè: ergo non petit esse determinatè in cognitione sui.

Ad argumentum respondetur, quòd de ratione virtutis finitæ ita est esse in actuali consideratione sui, quòd sit sua intellectus per essentiam, & quòd nullatenus possit separari à suo actu secundo. Unde non erit contra rationem virtutis finitæ, limitatæ, & potentialis, quòd sit semper in aliquo actu secundo, dummodo distingatur realiter ab illo, & possit divinitus ab eo separari: ut liquet in animali, quòd semper est in motu cordis: & in Sole, qui semper illuminat. Ita ergo potest contingere in Angelo, qui est fit naturaliter in actuali consideratione sui & Dei Authoris naturalis, non propterea argui debet virtutis finitæ.

Ad primam confirmationem respondetur, quòd cognitio, qua Deus se cognoscit, est vitalis, item visio beata est vitalis; & tamen non est contra eorum perfectionem esse necessarias, & non liberas. ¶ Ad secundam satis constat ex dictis: quia Angelus debet esse determinatus ad cognitionem determinatam, eo quòd à seipso non potest determinari ad illam.

10 Contra tertiam, & quartam conclusionem sentiant ex Thomistis Ferrara 3. Contra gent. cap. 109. Ioannes à Sancto Thoma, Contenton. Et ex Societate Vazquez, Martion. Herrera in prat. q. 12. sect. 1. & Chavarría disp. 8. cap. 4. & alij. Pro qua:

Arguitur primò ex D. Thoma 1. 2. q. 10. art. 1. ad 2. vbi ait: *Non oportet, quòd voluntas, qua de potentia in actum reducitur, dum aliquid vult, semper actu velit. sed solum quando est in aliqua dispositione determinata. Voluntas autem Dei, qua est actus purus, semper est in actu volendi*: ergo iuxta Div. Thomam solum voluntas divina semper est in actu volendi.

Ad hoc argumentum respondetur, D. Thomam non negare sed potius affirmare, quòd voluntas creata, dum habet certam dispositionem ad amandum aliquod obiectum, semper & incessanter illud amat, ut contingit in voluntate beati in ordine ad obiectum beatificans, & in voluntate Angelica in ordine ad se, & ad Deum finem naturalem. Si verò in voluntate creata non addit specialis hæc dispositio, nullum obiectum amat necessariò quoad exercitium. Et hæc est mens D. Thomæ.

11 Arguitur secundò: Nam voluntas Angelii non necessitatur quoad exercitium ad illum actum, in quo potest apparere aliqua ratio mali; sed in dilectione sui potest apparere aliqua ratio mali: ergo Angeli voluntas non est necessitata quoad exercitium ad dilectionem sui. Minor probatur: Tam, quia talis actus est finitus & limitatus: ergo potest apparere in eo aliqua ratio

mali. Tum etiam: quia dilectio sui potest apprehendi ut impeditiva exercitii libertatis: ergo potest apprehendi sub ratione mali. Patet consequentia: nam exercitium libertatis est maximum bonum voluntatis. Tum denique: quia potest obitare alijs actibus, quibus voluntas Angeli potest exerceri: ergo in dilectione sui apparet aliqua ratio mali. Patet consequentia: quia forte est impeditiva maioris boni.

Respondetur distinguendo maiorem in quo potest apparere aliqua ratio mali positivi aut privativi, concedo maiorem; negativum nego minorem. Et distinguitur min. aliqua ratio mali positivi aut privativi, nego minorem; negativum, concedo minorem. Et negatur consequentia. Contra quam dicitur in omnem nulla ex tribus probationibus videt. Non prima: nam bonum creatum, ex eo quòd sit finitum, solum petit habere aliquam rationem mali negativum; & si ad eum diligendum non est specialis ratio, etiam potest apprehendi aliqua ratio mali positivi. Ad id autem: quod non habet aliquam rationem mali positivi, sed tantum negativum, bene potest voluntas creata necessitari quoad exercitium; dummodo addit ad hoc specialis ratio, ut contingit in amore beatifico, & in dilectione naturali, qua Angelus diligit seipsum. *Nec secundum*: nam quando aliquis actus versatur circa obiectum dignum amore necessario, & cognitum, ut tale, exercitium libertatis circa illud non potest apparere sub ratione mali, ut liquet in amore beatifico; maxime si non impedit exercitium libertatis circa alia obiecta, vel non impedit dilectionem maioris boni. Et hæc omnia habet dilectio naturalis Angeli, qua diligit seipsum: nam imprimis Angelus est dignus amore necessario, præcipue proprio, ob rationem datam in nostra assertionem; deinde non impedit exercitium libertatis erga alia obiecta, sicut nec amor beatificus impedit exercitium libertatis erga obiecta creata, & cognitio, qua Angelus cognoscit seipsum, non impedit cognitionem aliorum obiectorum; & tandem dilectio sui non impedit dilectionem Dei Authoris naturalis, quæ verè est dilectio maioris boni, sed potius iuvat ad illam, sicut cognitio sui iuvat ad cognitionem Dei. Per quod constat ad tertiam.

12 Arguitur tertio (& procedit specialiter contra quartam conclusionem) Nam in aliquam rationem Angelus amat Deum necessariò quoad exercitium; maxime quia amat se necessariò, & dependet essentialiter à Deo; sed hæc ratio non videtur: ergo non amat Deum necessariò quoad exercitium. Minor probatur: nam amor alicuius communi cum alio non arguit amorem illius, cum quo connectitur.

Confirmatur: Dilectio naturalis Dei est incompatibilis cum eius odio; sed Angeli mali Deum odio habent: ergo non diligunt eum amore naturali. ¶ Arguitur difficultas: nam

Paul. Theol. Salm. Tom. II.

cum demon sit per peccatum aversus à Deo finem supernaturali, nequit esse conversus ad Deum finem naturalem, alias esset simul conversus, & aversus ab eo: ergo Angelus non est necessitatus quoad exercitium ad dilectionem Dei naturalem.

Ad argumentum respondetur dicendo, quòd Angelus amat Deum in eo naturali, nec cessariò quoad exercitium, non solum quia dependet ab eo essentialiter, sed etiam quia ratione suæ vitæ actualitatis petit constitui in actu primo completo ad diligenda omnia alia obiecta; & non constituitur in eo, nisi per intentionem ethicam ultimi finis in particulari, qui est Deus Author naturalis.

13 Ad confirmationem respondetur, Angelos malos odio habere Deum ut iustum Iudicem, quatenus ab eo privantur felicitate supernaturali & ab eodem ut agente supernaturali torquentur. Cum quo recte coheret, quòd Deum ament ut bonum universale totius nature & conservatorem sui esse. Quam solutionem desumpsimus ex D. Thoma in 1. 2. q. 10. art. 5. ad 5. ¶ Ad augmentum difficultatis respondetur, quòd non repugnat Angelum esse aversum à Deo sine supernaturali, & conversum ad Deum finem vitium naturalem; dummodo conversio hæc non sit dilectio illius super omnia appetitativa & omnino efficax adhuc in linea naturali: & hoc modo demones diligunt Deum finem naturalem. Pro cuius intelligentia notandum est, quòd dilectio Dei super omnia & omnino efficax adhuc in linea naturali, debet secum afferre, ut obediat Deo omnibus modis & quoad omnia, in quibus ipsa lex naturalis præcipit, sive dictat esse obediendum. At quia inter dictamina luminis naturalis continetur hoc, nempe *Obediendum est Deo, & cuiuslibet superiori legitime præcipienti*, consequens est, ut huiusmodi lex dicat taltem indirectè, quòd obediendum est Deo in ordine ad præcepta supernaturalia. Ex quo inferitur, quòd Angelus frangens directè aliquod præceptum supernaturale, nequit remanere cum dilectione naturali super omnia appetitativa, quia hæc supponit subiectum omnino paratum ad adimplenda præcepta supernaturalia, quando vires superant. Unde nec talis dilectio, quæ existit in statu peccati quoad entitatem, respicit Deum finem naturalem ut finem absolute vitium. Et hæc ratio non repugnat, quòd in demonibus deur conversio ad Deum finem naturalem cum aversione à sine supernaturali.



DUBIUM II.

Utrum Angelus possit per se primo directe, & immediate peccare contra legem naturalem?

EX dictis dubio precedenti facile deducitur resolutio huius difficultatis. Circa quam duplex veritas sententia. Prima est affirmativa, quam tenent Scotus cum suo Subtili Doctore in 2. dist. 23. quest. vnica, & Recentiores Societatis cum Suarez lib. 3. de Angelis cap. 7. num. 6. Secunda est negativa, quam defendit D. Thomas locis infra referendis, quem sequuntur N. Salm. in prat. disp. 9. dub. 2. & 3. & alij Thomistae.

§. I.

Sententia communis Thomistarum.

14. Dicendum est, Angelum non posse directe peccare contra legem naturalem. Hac conclusio probatur primo clarissimis testimonijs D. Thomae. Nam in hac 1. part. quest. 63. art. 1. ad 3. ait: *Naturalis est Angelo, quod convertatur motu dilectionis in Deum, secundum quod est principium naturae esse. Sed quod convertatur in ipsum, secundum quod est obiectum beatitudinis supernaturalis, hoc est ex amore gratuito, a quo averti potest peccando.* Ergo iuxta D. Thomam Angelus nequit directe peccare contra legem naturalem. Item quest. 16. de Malo art. 3. vniuersaliter asserit, primum peccatum Angelum non potuisse consistere in aliquo pertinente ad ordinem naturae. Et art. 5. ad 10. ait: *Liberum arbitrium diaboli non est naturaliter vertibile quantum ad naturalia sua, sed solum habet vertibilitatem respectu supernaturalium, ad quae potest converti, vel ab eis auerti.*

Deinde probatur ratione fundamentali ex praedictis testimonijs deducta: Nam Angelus necessario amat Deum Authorem & finem naturalem: ergo non potest peccare contra ipsum vt Authorem & finem naturalem; sed peccare contra legem naturalem est peccare contra Deum Authorem & finem naturalem: ergo Angelus non potest peccare contra legem naturalem. Antecedens constat ex dictis dubio precedenti. Et consequentia probatur: nam amor Dei super omnia vt finis supernaturalis excludit omne peccatum contra Deum finem super naturalem, ita vt licet cum praedicto amore possit compati libertas in ordine ad media, id est, ad eligendum hoc, vel illud medium, non tamen manet libertas ad eligenda media contraria tali fini: v. g. quia beatus est omnino necessitatus ad diligendum Deum finem supernaturalem, ne-

quit eligere media moraliter opposita huic fini, licet maneat liber ad amandum hoc, vel illud medium conduens ad talem finem: ergo amor Dei super omnia vt Authorem & finem naturalis excludit omne peccatum contra Deum Authorem & finem naturalem.

15. Huic rationi respondent primo Adversarij, negando antecedens: Existimant enim, Angelum non esse necessitatum quoad exercitium ad diligendum se, & Deum finem & Authorem naturalem. Sed hac evasio praecipua & impugnata manet ex dictis dub. praeced. quin sit necesse aliquid addere.

Respondent secundo, Angelum necessario amare Deum vt Authorem naturalem amore concupiscentiae, quae amat Deum vt bonum sibi, & vt ab eo conservetur, secus vero amore amicitiae. Porro amor amicitiae Dei finis naturalis est, qui excludit omne peccatum, non tamen amor concupiscentiae.

Sed haec solutio etiam manet impugnata ex dictis num. 6. Nam amor, quo Angelus necessario diligit Deum finem naturalem, est non solum amor concupiscentiae, sed etiam amor amicitiae: ergo huiusmodi amor excludit omne peccatum. Antecedens probatur: Tum, quia Angelus plus diligit Deum finem, & Authorem naturalem, quam seipsum, vt cum D. Thoma probauimus loco citato; sed eo ipso nequit esse amor praecise concupiscentiae: nam dum quis amat aliquod bonum, vt bonum sibi, plus diligit seipsum, cum illud amet propter seipsum: ergo amor, quo Angelus necessario diligit Deum finem naturalem, est amor amicitiae. Tum etiam: nam praedictus amor debet terminari ad Deum vt vltimum finem naturalem, vt constat ex dictis num. 7. sed amor terminatus ad Deum finem naturalem non solum est amor concupiscentiae, sed etiam amor amicitiae: ergo, Minor probatur: nam huiusmodi amor est super omnia: quia ratione amor charitatis, quo diligimus Deum finem supernaturalem, est amor amicitiae: ergo est amor amicitiae.

Diximus amor amicitiae: qui non intelligendus est de stricta amicitiae, propter ea quae docent N. Salm. tract. 19. disp. 1. dub. 4. Sed de amore amicitiae minus strictae, qui coincidit cum amore benevolentiae, quo diligitur Deus super omnia, qui quoad praesens in idem recidit.

16. Probatur insuper alia ratione ex alijs locis D. Thomae deducta: Nam nequit dari aliquod peccatum in voluntate, quin aliquis defectus moralis praecedat in intellectu; sed in intellectu angelico nequit praecedere aliquis defectus moralis circa agibilia ordinis naturalis: ergo Angelus nequit directe peccare contra finem naturalem. Maior est infra dicendis dub. 7. factis constabit: minor vero probatur: nam omnis defectus intellectus reducit ad errorem, ig-

norantiam, aut inconsiderationem; sed nullus ex his defectibus habet locum in Angelo circa agibilia naturalia: ergo Minor quoad primam & secundam partem facti liquet. Nam Angelus habet scientiam habitualement, & species omnium rerum naturalium, siue ordinis speculativi, siue ordinis practici: ergo non habet locum in eo error aut ignorantia. Quoad tertiam inuaditur: nam Angelus est necessitatus quoad exercitium ad actualem considerationem Dei Authoris & finis naturalis, vt diximus dub. praeced. sed ex hac actuali consideratione Dei manet determinatus ad considerandum actu omnia agibilia circa finem, quoties occasio eorum occurrerit, vt contingit in visione beata: quae est necessaria consideratio Dei finis supernaturalis, & hac ratione beatus manet determinatus ad considerandum actu omnia agibilia circa praedictum finem, quoties occasio eorum occurrerit: ergo neque potest praecedere in eius intellectu defectus moralis inconsiderationis.

17. Nec apparat quid valeant huic rationi respondere Adversarij, si praesupponantur in praes. quae dicta sunt dub. praeced. nisi dicant: quod Angelus tantum est necessitatus ad actualem considerationem Dei speculatiuam, secus vero ad considerationem practicam.

Sed contra est: Nam Angelus ea cognitione cognoscit Deum necessario, qua cognoscit illum vt vltimum finem naturalem, & qua mouetur ad amandum eum super omnia: ergo huiusmodi cognitio est practica, & non tantum speculativa. ¶ Et confirmatur: nam quia cognitio, qua Angelus cognoscit se ipsum, est comprehensiva, cognoscit Deum necessario; sed vt sit cognitio comprehensiva, etiam desideratur, quod cognoscat Deus practice & affectiue, alias cognitio non esset tanta in ratione cognitionis, quantum est obiectum in ratione cognoscibilis: ergo.

18. Probatur alia ratione: nam ita se habent Angeli inter naturas intellectuales creatas sicut corpora caelestia inter alia corpora subiuuaria; sed corpora caelestia sunt adeo perfecta, vt sint omnino indefectibilia in suis operationibus naturalibus: ergo etiam Angeli sunt indefectibiles in suis operationibus naturalibus.

Neque effugis vim huius rationis, si dicas cum Suariorum loco supra relato, esse notam disparitatem inter corpora caelestia & Angelos: siquidem illa tantum habent operationes naturales & necessarias, Angeli vero sunt liberi.

Non (inquam) effugis vim supra dictae rationis. Nam non est contra naturam intellectualem & liberam, quod sit necessitatus quoad exercitium in ordine ad finem naturalem, imo ita id exigit ratio suae perfectionis natura Angelica: ergo quauis corpora caelestia solum habeant operationes necessarias, & Angeli libe-

ras, debet excludi ab Angelis omnis defectus moralis in ordine ad finem naturalem, sicut a corporibus caelestibus excluditur omnis defectus in suis operationibus naturalibus.

19. Vltimo probatur conclusio: Nam non repugnat aliqua creatura intellectualis, cui sit conaturaliter debitus amor Dei super omnia finis naturalis: ergo etiam est possibilis creatura, cui repugnet peccatum intra ordinem naturae; sed haec creatura est Angelus defacto existens: ergo Angelus nequit peccare contra finem naturalem. Antecedens videtur certum nam si nulli creaturae esset debitus, non esset naturalis, sed supernaturalis, quia supernaturale dicitur id, quod est supra debitum cuiusvis creaturae create, aut creabilis. Prima consequentia legitime deducitur ex antecedenti propter dicta in prima ratione. Minor subsumpta probatur: nam creatura intellectualis, possibilis, cui naturaliter sit debitus amor Dei super omnia finis naturalis, est aliquis Angelus etiam perfectior nunc existentius; sed si dabo illi est Angelus ex possibilibus, cui sit debitus amor Dei super omnia finis naturalis, etiam est debitus Angelo defacto existenti: siquidem est eiusdem immaterialitatis cum eo, habetque de se formalitatem actualitatem, ac ille haberet: ergo Angelo defacto existenti debitus est amor Dei super omnia finis naturalis.

§. II.

Fundamenta oppositae opinionis.

20. Arguitur primo auctoritate: Nam D. Hieronymus Episcopus 146. ad Damas. ait: *Solus Deus est, in quem peccatum non cadit: cetera, cum sint liberi arbitrij, in utranque partem possunt flexere voluntatem.* ¶ Confirmatur ex D. Thoma in praes. quest. 63. art. 1. ad 2. vbi ait: *Corpora caelestia non habent operationem, nisi naturalem. Et ideo sicut in natura eorum non potest esse corruptionis malum, ita neque in actione naturali eorum potest esse malum inordinationis. Sed supra actionem naturalem in Angelis est actio liberi arbitrij, secundum quam contingit in eis esse malum.* Idem tradit in 2. dist. 23. quest. 1. art. 1. vbi inquit: *Impossibile fuit vt serua libere arbitrij, alicui creatura conferretur, vt secundum conditionem suae naturae peccare non possit: Ergo cum Angeli sint liberi in ordine naturali, consequens est, quod in praedicto ordine sint defectibiles. Accedit ad haec, quod Patres nulla facta mentione ordinationis creaturae ad finem supernaturalem, absolute negant possibilitatem alicuius creaturae ad intrinseco: impeccabilis.*

Ad argumentum cum confirmatione respondetur, quod ex libertate creaturae tantum sequi-

quitur, non esse absolute & omnino indefectibilem in omnibus suis operationibus, quod saluator per hoc, quod sit defectibilis directe circa finem supernaturalem, & indirecte circa finem naturalem. Nec aliquid aliud deducitur ex D. Hieronymo, & D. Thoma. Cum quo componi valet, quod non possit deficere directe circa finem naturalem propter rationes traditas pro nostra conclusione. ¶ Ad additamentum respondetur, quod ut Patres non facta mentione ordinationis ad finem supernaturalem, possent absolute proficere, quod nulla creatura est indefectibilis, satis erat, quod omnis creatura sit ex natura sua ordinabilis in predictum finem, erga quem nulla est absolute indefectibilis.

21 Sed dices: Id, quod convenit a seculi secundum ordinem naturae & in ordine ad finem illius, absolute illi convenit, quamvis ex providentia supernaturali oppositum ei conveniat: sicut quia Angelus est incorruptibilis, quia intra ordinem naturae nullam habet causam suae corruptionis, propterea dicitur absolute incorruptibilis, quamvis supernaturaliter possit a Deo destrui: ergo si Angelus est indefectibilis intra ordinem naturae, etiam est absolute indefectibilis, esto ut elevatus ad ordinem supernaturalem sit defectibilis; sed hoc est contra communem sententiam SS. PP. ergo.

Respondetur, quod Angelum esse destructibilem solum convenit ei supernaturaliter attendente potentia Dei absolute, ideoque absolute de eo verificatur, quod ex natura sua est immortalis: At Angelus ita est indefectibilis directe intra ordinem naturae, quod sit directe defectibilis secundum communem providentiam ordinis supernaturalis & intra predictum ordinem, & directe intra ordinem naturalem. Et hac ratione absolute potest proferri, quod est defectibilis.

22 Arguitur *secundo*: Nam peccatum contra praeceptum supernaturale est etiam contra praeceptum naturale; sed Angelus peccare potest contra praeceptum supernaturale: ergo etiam contra praeceptum naturale. Maior, in qua est difficultas, probatur; nam posito praecepto supernaturali, lex naturalis praecipit illud observare: ergo qui transgreditur praeceptum supernaturale: etiam violat legem naturalem observationem praecepti supernaturalis praescribentem.

Ad hoc argumentum respondetur, quod lex naturalis non praecipit directe observationem praecepti supernaturalis, sed tantum indirecte, ideoque qui transgreditur praeceptum supernaturale, ex vi huius solum delinquit indirecte intra ordinem naturalem, quod nos non negamus.

23 Arguitur *tertio*: Nam si Angelus esset impeccabilis directe contra praecepta naturalia, etiam esset impeccabilis contra praecepta super-

naturalia; sed hoc est falsum: ergo esse peccabilis contra legem naturalem. Sequela probatur: nam ideo per nos est impeccabilis contra praecepta naturalia, quia pete esse semper in actu, si dilectione Dei finis naturalis; sed ex hoc inferitur, Angelum esse impeccabilem contra praecepta supernaturalia: ergo si est impeccabilis contra praecepta naturalia, etiam contra praecepta supernaturalia. Maior: natura: naturae Dei Auctoris naturalis opponitur cum quolibet peccato gravi etiam in ordine supernaturali; siquidem vera amicitia propter aliquem titulum opponitur cum vera inimicitia etiam ex alio titulo: nemo enim potest esse amicus & inimicus alicuius personae sub diversis formalitatibus.

Et confirmatur: Nam ex vi predictae rationis sequitur, Angelum non posse peccare adhuc indirecte contra finem naturalem: quia violationi indirecte contra finem naturalem opponitur amor naturalis Dei super omnia.

Ad argumentum satis constat ex dictis num. 12, quod dilectio Dei super omnia finis naturalis opponitur cum omni peccato, dum est talis formaliter super omnia, scilicet vero quando solum perseverat talis dilectio naturalis Dei quoad entitatem. Porro dilectio Dei super omnia ut finis naturalis solum perseverat formaliter, dum coniungitur cum dilectione Dei super omnia ut finis supernaturalis, vel quando non adest peccatum directe contra finem supernaturalem. Si vero Angelus peccat contra finem supernaturalem, tunc adest dilectio Dei naturalis quoad entitatem, sed non est absolute & simpliciter super omnia adhuc in linea naturali, ut diximus numero citato, neque est ibi sub formalitate verae amicitiae, quia ad hanc requiritur amor Dei super omnia formaliter ut talis. ¶ Ex his etiam respondetur ad confirmationem, quod dilectio Dei super omnia formaliter ut talis adhuc in linea naturali opponitur violationi indirecte contra finem naturalem, non vero sumpta praecise quoad entitatem. Ex quibus inferitur, quod si Angelus non peccaret contra finem supernaturalem, non esset elevatus ad praedictum finem, sed esset in puris naturalibus conditus, tunc necessario haberet amorem Dei naturalem super omnia formaliter ut tale, & nulla posset esse transgressio praecepti.

24 Arguitur *quarto*: Demones quotidie peccant contra legem, & finem naturalem invadendo, detrahendo, & nocendo hominibus; ergo Angeli possunt peccare contra legem naturalem.

Ad hoc respondent communiter Thomisticae, hac peccata & alia similia, quae directe sunt contra legem naturalem, demones execui ex odio Dei ut Auctoris supernaturalis: ideoque directe solum esse contra legem supernaturalem, licet indirecte sunt contra legem naturalem. DU₃

DUBIUM III.

§. I.

Vtrum repugnet creatura essentialiter impeccabilis?

Resolutio dubij ex mente SS. PP. & D. Thome.

25 **O**ccasione dubij praecedentis hoc communiter excitant in praesenti Scholastici. Pro quo notandum est, tripliciter posse excogitari naturam aliquam ex se impeccabilem: vel quia eius voluntas est prima regula honestatis, & hac ratione solus Deus est impeccabilis; vel quia non est capax dictaminis rationis, & hoc pacto bruta peccare non possunt; vel quia superiori regule ita subiecta est ex natura sua, ut ab ea deficere non possit; & de hac creatura procedit hoc dubium.

Supponimus tamen tanquam certum de fide, nullam dari defectu creaturam intellectualem, quae ex se sit impeccabilis. Et colligitur ex illo Job. 4. *In Angelis suis reperit gravitatem, quanto magis hi, qui habitant domos luteas?* Vbi affirmatur, naturam Angelicam & humanam defectu peccasse. Idem passim docent SS. PP. qui videri possunt apud Gonetum. ¶ Supponimus deinde, per donum aliquod gratuitum extrinsece adveniens posse aliquem reddi simpliciter impeccabilem, ut liquet in beatis & humanitate Christi. Propterea inquirimus, an sit possibilis creatura, quae essentialiter sit impeccabilis?

Circa quam difficultatem duplex est Aucthorum sententia. Prima asserit, huiusmodi creaturam ex natura sua & essentialiter impeccabilem esse possibilem. Pro hac referunt Magist. in 1. dist. 44. cap. 2. Okam ibidem quest. vnic. N. Bachon in 2. dist. 38. art. 2. Mai. in 2. dist. 23. quest. 2. concl. 2. Gabriel quest. vnic. art. 2. concl. 2. & ex Recentioribus Ripalda tom. 1. de Ente supernaturali disp. 23. a sect. 7. & apud ipsum Valentia, Becanus, Herice, pluresque alij ex Societate, cum quibus consentit Scotus in 2. dist. 23. quest. vnic. §. *Disco igitur*, ubi in fine ait, nullam esse fundamentum efficac ad negandum huiusmodi creaturam impeccabilis possibilitatem, licet fateatur magnum esse auctoritatis pondus.

Secunda defendit, huiusmodi creaturam metaphysicam repugnantiam involvere. Ita communiter Theologi, quibus suffragantur N. Salmant. in praef. disp. 9. dub. 1. Pro qua si videntur plures Patres, ut infra videbimus, dum eorum testimonia expendamus.

* * * * *

26 **D**icendum est, repugnare metaphysice creaturam intellectualem essentialiter impeccabilem. Probat hanc conclusio ex SS. PP. qui explicantes illud Apost. 1. ad Timoth. 6. *Qui solus habet immortalitatem*, non solum id intelligunt de immortalitate quae opponitur physicae destructioni, sed etiam de ea, quae opponitur morti morali per peccatum. Ita D. Ambrosius de Fide cap. 3. & ex praedictis infert: *Ergo corruptionis & mortis, etiam si non moriatur aut peccet, capax est omnis creatura.* Clarius id docet D. Augustinus contra Maximinum lib. 3. cap. 12. *Quicumque natura rationali praestatur, ut peccare non possit, non est hoc natura propria, sed gratia: & per hoc solus Deus habet immortalitatem, qui non cuiusquam gratia, sed natura sua, nec potuit, nec poterit aliqua mutatione peccare.* Idem tradit Hieronymus epist. 146. ad Damas. de Filio prodigo.

27 His testimoniis tripliciter occurrunt Adversarii. Primum dicunt, in illis non negari omni creaturae immortalitatem utcumque, sed immortalitatem ab a se, & sine dependentia ab alio, modo quo eam habet Deus. Secundo aiunt, quod ideo Deus dicitur solus immortalis & impeccabilis, quia omnis creata iustitia comparata cum Deo quasi iniustitia potest existimari. Tertio asserunt, Patres in praedictis locis solum de creaturis existentibus, non de possibilibus loqui.

Sed e contra est: Quia nulla ex his evasione est iuxta mentem SS. PP. Non prima: nam sicut creaturam non esse Deum est per se notum, ita creaturam non esse impeccabilem a se; sed Patres non intendunt probare creaturam non esse Deum, sed hoc supponunt: ergo non tantum volunt excludere impeccabilitatem a se, sed etiam impeccabilitatem absolutam. Praefertim: nam si creatura reddatur impeccabilis, hoc non habet ex conditione suae naturae, sed ex dono gratiae, ut inquit D. Augustinus, ergo iuxta Div. Augustinum, nulla creatura potest esse impeccabilis ex natura sua sive impeccabilitate a se, sive impeccabilitate dependentem ab alio, aliis inutilis esset recursus ad donum gratiae.

Nec secunda: nam PP. supra relati iam supponunt, nullam creaturam esse capacem impeccabilitatis per essentiam & increate: item supponunt, quod omnis iustitia creata, etiam proveniens ex dono gratiae, comparata cum Deo iniustitia reputatur: ergo in praedictis testimoniis excludunt ab omni creatura creata & creabili impeccabilitatem absolutam ex natura sua, cuius creatura est capax per gratiam.

Nec

Nec tertia: Tum quia Patres loquuntur de omni creatura in univ[er]sali; sed sub omni creatura comprehenditur etiam omnis creatura possibilis: ergo sentiant nullam creaturam possibilem esse ex natura sua impeccabilem. Tum etiam: nam de solo Deo affirmant esse ex natura sua impeccabilem; sed prædicta particula est exclusiva omnis creature create, & creabilis: ergo. Tam denique: quia eadem ratio militat in omni creatura possibili, ac in creatura defectu existenti, ut infra patebit.

28. Probatur in super alijs testimonijs PP. in quibus videntur inferre peccabilitatem in creatura ex ipsa creature ratione, seu ex eo quod facta est ex nihilo. Ita D. August. cap. 13. de Fide ad Petrum, quem locum vberissime pertractans D. Fulgentius ibi ait: *Ideo creaturas a Deo factas de bono posse peccare, quia ex nihilo condite sunt.* D. Greg. 25. Moral. cap. 5. *Ex eo itaque, quod creatura esset ex bono, non debet deinde Damasc. lib. 2. de Fide cap. 3. cum præmississe, Angelos ex bono in malum mutabiles esse, hanc subdit rationem: Quod enim creatum est, mutationi quoque subest, necesse est. Quæ verba expendens ait: Omne creatum vertibile, solum autem increatum invertebile. Intellectualis igitur natura ut rationalis potest libera esse: ut creata vero vertibilis, potestatem habens proficiendi in bono, & in deterius prolabendi. Ex quibus testimonijs non solum inferitur mutabilitas ut sic, sed etiam mutabilitas per peccatum ex ratione communi creature liberæ, seu ex eo quod facta est ex nihilo; sed omnis creatura intellectualis possibilis est libera & facta ex nihilo: ergo nulla creatura intellectualis possibilis est iuxta mentem PP. ex natura sua impeccabilis.*

29. Tandem probatur nonnullis ex innumeris testimonijs D. Thomæ. Nam in hac 1. p. quæst. 63. art. 1. ait: *Dicendum, quod tam Angelus, quam quæcumque creatura rationalis, si in sua natura consideretur, potest peccare. Et cuiuscumque creatura hoc convenit, ut peccare non possit, hoc habet ex dono gratiæ, non ex conditione nature.* Et postquam huius rationem subdit, ita concludit: *Sic igitur in sola voluntate divina peccatum esse non potest: in qualibet autem voluntate creature potest esse peccatum secundum conditionem sue nature.* Sed quia in hoc testimonio videtur loqui de creaturis defectu existentibus, licet possit applicari possibilibus; probatur ex his, quæ docet quæst. 24. de Verit. art. 7. in 2. argum. sed contra, ubi ait: *Reprobatas nature superioris non potest inferiori nature naturaliter convenire, nisi in superiore naturam convertatur. Sicut non potest fieri, quod aqua naturaliter sit calida, nisi convertatur in naturam ignis, vel aeris. Sed habere indefectibilem bonitatem est aqua propria nature: ergo non potest esse, quod alicui*

alij nature conveniat naturaliter, nisi in diei nam naturam convertatur, quod est impossibile. Id expressius docet in corpore eiusdem articuli his verbis: *Respondetur dicendum, quod nulla creatura nec est, nec esse potest, cuius liberum arbitrium sit naturaliter confirmatum in bono, et hoc est de puris naturalibus et veritatibus, quod peccare non possit: ergo iuxta D. Thomam nulla est habilis creatura intellectualis, quæ essentialiter sit impeccabilis.*

Ratio fundamentalis D. Thomæ: dicitur quod ad hoc quod creatura sit impeccabilis, non potest esse nisi illa sit, quæ est deus.

30. Probatur primò ratione D. Thomæ, quænam ait: *hoc proxime relatio ex parte. Nam vita, quæ non est regula suæ operationis, nec huiusmodi regulam habet inseparabiliter sibi coniunctam, potest deficere à rectitudine debita tali operationi, subindeque peccare; sed nulla voluntas potest à Deo produci, quæ sit regula suæ operationis, vel ex natura sua habeat sibi illam coniunctam: ergo nulla voluntas potest produci, quæ sit ex natura sua impeccabilis. Maior explicatur ratione, & exemplo. Ratione: nam actus solum potest necessarîo procedere conformis virtuti operative, à qua immediatè exit: ergo si principium proximum non est regula moralitatis, non potest necessarîo evadere conformis tali regulæ. Et ideo, quia Deus solus est formalitèr ipsissima regula moralitatis, est essentialitèr indefectibilis & beatus, quia illam habet connexivè & inseparabiliter, necessarîo petit cum illa conformari. Exemplo: nam si manus artificis effectus ipsa regula industriæ, artifex non posset nisi rectè lignum scindere: sed quia in artifice creatò oppositum contingit, ideo accidit ei prædictam incisionem aliquando esse rectam, & aliquando obliquam.*

Minor verò probatur: nam regula operationibus voluntatis debita est ultimus finis, quia finis ultimus se habet in practico, sicut primum principium in speculativo: unde sicut principium primum regulat omnes conclusiones, ita ultimus finis omnes operationes: sed nulla voluntas creata est finis ultimus finis, neque ex natura sua potest esse coniuncta suo ultimo fini maxime supernaturali: ergo nulla voluntas potest à Deo produci, quæ sit regula suæ operationis, vel ex natura sua habeat sibi illam coniunctam.

31. Hæc rationi respondent Adversarij negando mai. quia confirmitas cum regula operationis potest oriri ex eo quod voluntas habeat ex natura sua talem determinationem, ut si talis regula ab intellectu proponatur, peccat conformari cum illa, quin sit necesse, quod sit ipsa regula operationis, vel habeat sibi coniunctam talem regulam.

Qui

Qui ita respondent, reverà non est ratio rationem D. Thomæ, & sic hæc evasio manebit factis impignata, sicutum fultior: nam nulla potest esse voluntas creata, quæ sit ex natura sua determinatè ad conformandum se cum regula moralitatis, nisi ex natura sua petat omnia principia requisita ad talem conformitatem; sed nulla est possibilis voluntas creata, quæ ex natura sua petat omnia principia requisita ad conformandum se cum regula moralitatis: ergo nulla voluntas est producibilis, quæ ex natura sua petat conformari cum regula moralitatis. Minor probatur: nam præcepta regula moralitatis est ultimus finis supernaturalis: ergo sola illa voluntas potest ex natura sua omnia principia ad conformandum se cum regula moralitatis quæ est determinata ad amorem Dei super omnia ultimos finis supernaturalis: sed nulla voluntas potest produci, quæ ex natura sua petat amorem Dei super omnia ultimos finis supernaturalis; quæ hoc est proprium folius voluntatis supernaturalis, qualis est divina: ergo.

32. Respondent Adversarij, hoc ratiocinium solum probare, nullam voluntatem creatam aut creabilem habere determinationem absolutam ad conformandum se regulæ, non verò tollere ab ea, quod habeat determinationem conditionatam, nempe, ad hoc, ut si ei proponatur regula operationum, & habeat omnia principia requisita ad amorem Dei supernaturalem, petat cum illa conformari. Ad hanc autem necessitatem conditionatam, prout ab absoluta distinguitur, non requiritur, quod intellectus habeat naturalitèr cognitionem rerum supernaturalium, sed sufficit, quod si talis cognitio supernaturalis adsit, & aliunde habeat sufficientiam expeditam, necessitata maneat voluntas ad sequendum ductam supernaturalem, vel ad non se disconformandum positive cum prædicta regula. Hoc autem non repugnat omnivoluntati possibili, quia potest produci aliqua, quæ solum specificetur à bono honesto.

Sed contra est primò: Nam nulla voluntas potest produci, quæ, adhuc stante debita propositione finis ultimi supernaturalis cum omnibus principijs sufficientibus ad se conformandum cum prædicto fine, sit ex natura sua determinatè ad conformitatem cum illo: ergo nulla voluntas potest produci, quæ ex natura sua habeat determinationem aut absolutam, aut conditionatam ad se conformandum cum regula operationum moralium. Antecedens probatur: nam si hoc ita esset, stante propositione per fidem, & supposito in ea habitu charitatis, esset determinata omnino ad dilectionem Dei supernaturalem super omnia: hæc enim est unica determinatio ad excludendam omnem peccatum circa finem supernaturalem: sed adhuc supposito habitu charitatis, & propositione per fidem, nulla voluntas creata potest produci, quæ sit omnino

Paul. Theolog. Salm. Tom. II.

determinata ad dilectionem Dei supernaturalem super omnia: liquidem solus Deus clarè visis necessitatè voluntatem ad amandum Deum finem supernaturalem merito.

33. Secundò, & precipue: Nam repugnat voluntas creata specificatè ad quædam à bono præcisè honesto: ergo nulla voluntas creata potest produci, quæ ex natura sua sit determinata sive absolute, sive conditionatè ad se conformandum cum regula operationum moralium. Consequentia est legitima. Tum, quia si non specificatèr ad quædam à bono honesto, necesse est, quod respiciat pro obiecto ad quatum non solum bonum honestum, sed etiam utile, delectabile, & apprensivum, subindeque non sit determinata præcisè ad bonum honestum. Tum etiam: nam ob oppositam rationem docent Adversarij, posse dari voluntatem creatam, quæ sit ex natura sua determinata ad se conformandum cum regula operationum moralium. Antecedens verò probatur: nam nullus intellectus potest produci, qui non habeat pro obiecto ad quatum verum in tota sua univ[er]sitate: ergo nulla potest produci voluntas, quæ non habeat pro obiecto ad quatum bonum in tota sua univ[er]sitate. Antecedens est certum: nam præterea intellectus nunc existens respicit pro obiecto ad quatum omne ens & omne verum, quia caret materia, quæ ratio tenet in omni intellectu possibili, ut ex se liquet. Consequentia verò probatur: Tum, quia voluntas est appetitus rationis proportionatus cum intellectu: ergo si nullus est possibilis intellectus, qui non respiciat pro obiecto ad quatum verum in tota sua univ[er]sitate, nulla est etiam possibilis voluntas, quæ non respiciat pro obiecto ad quatum bonum in tota sua univ[er]sitate. Tum etiam: quia voluntas, utpote potentia cæca & consequens intellectum, nullum habere potest limitativum circa suum obiectum, nisi ex parte intellectus: ergo idem quod præter.

34. Nec refert, si dicas cum Scoto, Rada, alijsque Recentioribus, non repugnare Deum producere naturam intellectualem non liberam.

Non (inquam) refert: Tum, quia hæc controversia procedit de natura intellectus ali liberæ. Tum etiam: quia non potest fingi Angelus, aut homo, qui careat libertate, nisi ex eo, quod careret voluntate, estò habeat intellectum: vel ex eo quod haberet voluntatem omnino determinatam ad quodlibet obiectum in particulari, eo modo quo beatus ratione visionis beatæ est omnino determinatus ad diligendam Deum (nam posse produci alium hominem, vel Angelum alterius speciei ab homine & Angelo nunquam existentibus, qui non habeant, aut petant intellectum & voluntatem, omnino charitativum existimamus) sed neutrum dici potest: non primum, quia repugnat natura intellectualis

Et cum

cum intellectu sine voluntate, aut sine exigentia ad illam: hac enim ratione demonstrant Theologi Deum habere voluntatem. Videantur, quæ diximus tract. 4. disp. 1. dub. 1. præsertim num. 8. Maxime: quia dato casu, quod per miraculum posset produci natura intellectualis sine voluntate, quam semper exigit, adhuc radicaliter esset defectibilis, quia peteret voluntatem eiusdem rationis cum nostra. Et idem dicitur de prædicta natura spiritali comparative ad intellectum.

Nec secundum: nam repugnat voluntas creata non libera: ergo etiam repugnat voluntas creata omnino indefectibilis. Antecedens probatur: tum ex D. Bernardo tract. de Gratia & lib. arbit. ubi ait: *Vbi voluntas, ibi libertas*. Et ex Damasc. lib. 2. de Fide cap. 3. *Id omne quod ratione utitur, arbitrij quoque libertate præditum est*. Tum etiam: nam repugnat voluntas, quæ non respiciat pro obiecto adæquato bonum in communi, vt probavimus nam. præced. sed voluntas respiciens bonum in communi est essentialiter libera: siquidem supponit iudicium indifferens intellectus proponens quodlibet obiectum in particulari sub ratione boni aut mali: ergo.

§. III.

Alia dua rationes.

35 **P**robatur secundò ratione D. Thomæ, quam latè expendit loco supra relato de Veritate. Et potest ad hanc brevem formam reduci: Nam nulla voluntas potest produci, quæ habeat in se omnem rationem boni: ergo nulla voluntas potest produci, quæ ex se sit impeccabilis. Consequentia probatur: nam omnis voluntas creata, & creabilis respicit pro obiecto adæquato bonum in tota sua latitudine: ergo si non habeat in se immobiliter omnem rationem boni, nequit immobiliter, sed defectibiliter procedere in rectitudine suarum operationum. Consequentia probatur: nam agens particularis respiciens bonum in particulari nequit procedere indefectibiliter in attingentia illius, nisi ratio talis boni immobiliter ei conveniat, vt inductive potest ostendi in naturalibus & artificialibus: ergo idem dicendum est de voluntate respiciente bonum in communi.

Explicatur hæc ratio: Nam in idem recidit voluntatem aliquam esse ex natura sua indefectibilem circa bonum in communi, prout ambit bonum naturale & supernaturale, ac habere ex natura sua omnia principia indefectibilia tendentia in prædictum bonum: sed in idem recidit habere ex natura sua hæc principia, ac habere in se omnem rationem boni, quod repugnat voluntati create: ergo repugnat voluntas creata ab intrinseco indefectibilis. Maior videtur

certa: Tum, quia si principia non sunt indefectibilia, poterunt deficere in suis operationibus, vt ex se constat. Tum etiam: quia actio provenit secundum similitudinem sui principij proximi: unde si principium non est indefectibile, nec actio erit absolute indefectibilis. Quocirca dicit D. Thomas loco citato de Veritate, quod ex defectu principiorum actionis *causatur actionis defectus*.

Minor verò probatur: nam inter principia indefectibilia circa bonum in communi, prout ambit naturale & supernaturale, computari debent principia supernaturalia: sed in idem recidit habere ex natura sua hæc principia, ac habere in se omnem rationem boni: ergo. Minor probatur: nam idem est ex natura sua petere hæc principia, ac esse supernaturalem: sed idem est substantiam aliquam esse supernaturalem, ac habere in se omnem rationem boni: quia nulla substantia præter divinam potest esse supernaturalis, vt diximus tract. de Visione Deis ergo.

Hæc ratio bene pensata potest reduci ad priorem, ideoque eodem modo respondent Adversarij. Sed eorum solutio exposita est eisdem impugnationibus mutatis terminis, ab eisque supersedemus, ne acta iterum agamus.

36 Tandem probatur alia ratione D. Thomæ loco citato de Veritate. ad hanc methodum redacta: Nam omnis creatura petit produci ex nihilo: ergo nulla potest produci creatura intellectualis, quæ ex natura sua sit indefectibilis. Antecedens est certum. Et consequentia probatur: tum ex testimonijs PP. relatis num. 28. quæ si vim aliquam habent in creaturis existentibus, etiam in possibilibus. Tum etiam: nam omnis creatura, quia petit produci ex nihilo, est defectibilis in suo esse: sed creatura, quæ est defectibilis in suo esse, est etiam defectibilis in sua operatione: siquidem modus operandi sequitur modum essendi: ergo nulla creatura potest produci, quæ ex natura sua sit indefectibilis.

37 Huic rationi multipliciter respondent Adversarij. Primò dicunt, primum antecedens esse impertinens ad suadendam conclusionem, eò quod aliquid esse factum ex nihilo idem est, ac esse creaturam, ideoque probaret idem per idem.

Sed contra: Nam non est idem esse hominem ac esse risibilem, nec probare risibilitatem per rationalitatem esset probare idem per idem: ergo nec est idem formalissimè aliquid esse creatum, ac esse factum ex nihilo: ac proinde probare defectibilitatem ex eo, quod aliquid sit factum ex nihilo, non est idem, ac eam probare ex conceptu formalissimo creature. Antecedens est certum. Et consequentia probatur: ideo antecedens est verum, quia rationalitas est ratio à priori risibilitatis: sed produci ex nihilo est

Dub. III. Utrum repugnet creatura essentialiter impeccabilis?

est ratio à priori creaturæ, vt creatura est, & creatura, vt est facta ex nihilo, est ratio à priori defectibilitatis: siquidem ex hoc principio, *Creatura esse facta ex nihilo*, optinè deducitur & à priori, quod non est actus purus, quod est quid causatum & limitatum, & consequenter quod est creatura, & tandem defectibilitas est proprietas creaturæ, vt est facta ex nihilo: ergo.

38 Secundò dicunt, quod ex primo antecedenti illegitimè deducitur consequens, si intelligatur de defectibilitate morali, cum plus interatur, quam continetur in antecedenti: nam ex eo quod natura est defectibilis in esse, solum potest inferri, quod est defectibilis in operatione quoad esse physicum: sed posse deficere moraliter stante esse physico, ex quo antecedenti inferunt.

Contra: Tum, quia per vos ex mutabilitate quoad esse inferunt defectibilitatem operationis quoad esse physicum: ergo etiam sequitur defectibilitas moralis in operando. Probatur consequentia: nam multoties præcipitur entitas physica operationis, vt dum præcipitur præcepto positivo actus cuiuslibet virtutis: sed transgressio huius præcepti consistit in eo, quod non ponatur physice actus præceptus: ergo si ex defectibilitate quoad esse inferunt defectibilitatem in operari physice, etiam in operari moraliter. Tum etiam: nam si ex defectibilitate quoad esse rectè inferunt defectibilitatem quoad substantiam operationis, etiam sequitur quoad modum operandi: ergo etiam sequitur defectibilitas moralis. Antecedens probatur: nam maior est defectibilitas quoad esse, quam quoad modum operandi, cum non esse opponatur contradictoriè cum esse, & totalitèr illud destruat, quod non habet defectibilitatem quoad modum operandi: ergo si ex defectibilitate quoad esse rectè arguitur defectibilitas quoad substantiam operationis, etiam quoad modum operandi.

39 Sed oppones: Maior est defectibilitas per anihilationem, quam per corruptionem: & rationem ex eo quod aliquid sit defectibile per anihilationem, non sequitur esse defectibile per corruptionem, vt liquet in Angelo: ergo. Adde: Quia non est adeò certum, quod defectibilitas quoad esse sit maior, quam defectibilitas quoad modum operandi moraliter, & ideo dixit Christus de Iuda: *Melius erat illi, si natus non fuisset*.

Ad objectionem respondetur, maiorem esse veram, quando minor defectibilitas fundatur in maiori, secus verò quando non fundatur. Defectibilitas per corruptionem ex genere non fundatur supra defectibilitatem per anihilationem, quia ad hanc sufficit conceptus communis creature, & ad illam requiritur materia, & non utrumque, sed non faciat totaliter per formam: & quia hæc non habet locum in Angelo, propterea est anihilabilis, & non corruptibilis,

Paul. Theol. Salm. Tom. II.

At modus operandi fundatur supra modum essendi: & talis modus est modus operandi liberi & moraliter, sequitur modus operandi defectibilis in linea libera & morali. Et ideo rectè arguitur ex defectibilitate in essendo defectibilitas non solum in substantia operationis, sed etiam in modo operandi liberi & moraliter.

Ad additamentum responderetur, quod maior est defectibilitas in esse, quam defectibilitas quoad modum operandi seu moralis. Quia, stante esse operationis, datur capacitas ad aliquid quam bonitatem moralem, & defectio datur aliqua bonitas physica, quod de non esse illius nequit verificari: quia, vt dicit commune proloquium, *Nullius entis nulle sunt qualitates*. Verba Christi debent intelligi secundum modum loquendi, vt ait D. Hieronymus citatus à D. Thoma super Matth. ad illa verba. Pro quod sciendum est cum Angelicis præceptis, loco relato, quod non esse potest dupliciter sumi, vel secundum se, vel per comparisonem ad aliud. Secundum se non est eligibile, vt dixit Augustinus. Sed per comparisonem ad aliud est eligibile, vt dicit Hieronymus. Quia hoc non est aliquid in natura, sed secundum apprehensionem. Unde, iuxta sensum horum trium Doctorum, non esse potest esse maius bonum, sed hoc intelligi debet in nostra apprehensione, quatenus remover nos à miserij. At Iuda melius erat esse secundum se, quam non esse. Sic D. Thomas in prædicto loco.

40 Tertio dicunt, quod si ex eo, quod substantia est facta ex nihilo, sequitur esse defectibilem in esse, & ex hoc principio deducitur esse defectibilem in operatione tam physica, quam morali: sequitur, quod sicut Angelus est indefectibilis naturaliter in esse, etiam naturaliter sit indefectibilis in operando: & sic demones non peccaverunt de lege ordinaria.

Sed contra: Nam ex defectibilitate extraordinaria Angelis in suo esse rectè deducitur aliqua defectibilitas in operatione: sed hæc nequit esse de lege extraordinaria: ergo ex defectibilitate Angelis in esse rectè deducitur defectibilitas naturalis in operatione. Minor probatur: tum quia libertas, quam petit habere, naturalitèr petit verè in bonum & malum: ergo ex defectibilitate extraordinaria in esse rectè deducitur defectibilitas naturalis in operatione. Tum etiam: quia si hoc effugium aliquid convinceret, sequeretur esse necessarium miraculum ad hoc, vt Angelus peccaret, sicut est necessarium ad hoc, vt annihilaretur: ergo Deus esset auctor peccati. Tum denique: quia hoc ipso quod Angelus existat, necessariò connectitur cum suo esse: sed potentia libera nequit necessariò connecti cum sua operatione: ergo optinè deducitur defectibilitas naturalis in operando ex defectibilitate nature de potentia absoluta.

§. IV.

Argumenta opposita sententia.

41. Arguitur primò: Non repugnat voluntas creata, cuius obiectum adæquatum sit præcise bonum honestum: ergo non repugnat voluntas creata, quæ peccare non possit. Antecedens probatur: tum, quia voluntatem esse per visionem beatam determinatam ad bonum honestum dicit aggregatum finitum & limitatum: ergo non repugnat hoc alicui voluntati creata secundum se. Tum etiam: nam licet in nobis detur sensus communis, qui omnia sensibilia attingere possit, dantur nihilominus sensus particulares, qui non omnia sensibilia attingere valeant, sed unusquisque aliquod sensibile peculiare. vt patet in sensibus externis: ergo pariter licet voluntas, quæ modò datur, omne bonum attingere valeat, non repugnat alia voluntas magis contracta, quæ solum bonum honestum attingere possit.

Ad hoc argumentum respondetur, negando antecedens, propter rationes traditas pro nostra assertionem. Ad cuius primam probationem dicendum est, quòd licet determinatio ad bonum morale in aggregato ex visione beatifica & voluntate creata non dicat infinitam perfectionem, dicit tamen illam in voluntate simplici. Et ratio disparitatis est: quia perfectio superioris naturæ optimè potest participari accidentaliter & cum finitudine ab aliqua natura inferiori: & sic aggregatum resultans ex tali natura, quæ se habet vt substratum, & ex accidenti, quod se habet vt participatio formalis, potest esse quid finitum & limitatum. Maxime, quia ratione prædicti accidentis per modum dispositionis prædicta voluntas potest esse coniuncta & connexa cum summo bono & regula moralitatis; at nulla voluntas, quæ non sit divina independentem à quacunque elevatione potest esse regula moralitatis, nec habere in se, vel esse coniuncta, aut connexa cum summo bono; & ob hanc rationem licet voluntas beati sit impeccabilis, fecus verò vlla voluntas secundum se sumpta. Et huiusmodi arguendi modus, qui passim reperitur apud Aduersarios in alijs materijs, retorquetur facillimè pluribus instantijs, quas alibi adduximus.

Ad secundam respondetur, concedendo antecedens, & negando consequentiam. Et ratio huius discriminis est evidens: nam sensus, quicumque ille sit, recipitur in organo corporeo, & ob hoc limitatur iuxta maiorem, vel minorem immaterialitatem ad attingenda obiecta determinata. Cæterum cum omnis voluntas creata, siue creabilis sit spiritualis, nullo organo corporeo iuncta, neque possit limitari ab intellectu, inde est, quòd debet respicere pro obiecto adæ-

quato bonum in communi, prout præscindit à naturali & supernaturali, ab honesto & delectabili. Et si hæc probatio aliquid suaderet, probaret vtique, quòd defectò datur voluntas, cuius obiectum sit tantum bonum honestum, sicut defectò datur illa diversitas sensuum, quia eius existentia conduceret ad maiorem pulchritudinem vniversi.

42. Arguitur secundò: Natura spiritualis est nobilior, quàm corporalis; sed datur aliqua natura corporea, quæ ex natura sua non habeat defectibilitatem in motu, qualis est natura cæli: ergo potest dari natura intellectualis ex natura sua indefectibilis. Et confirmatur: Nam in natura sensitiva sensus est determinatus ad proponendum eius appetitui bonum sensibile vt bonum, & malum sensibile vt malum: ergo etiam potest produci intellectus, qui sit determinatus ad proponendum bonum morale vt bonum, & malum morale vt malum: ergo tunc voluntas erit determinata ad sequendum bonum morale, & ad fugiendum malum morale. Hæc vltima consequentia patet ex prima: nam nullus appetitus potest proficere malum sub ratione mali. Prima verò ex antecedenti; aliàs natura intellectualis esset peioris conditionis, quàm bruta.

Ad argumentum respondetur cum Div. Thoma quæst. sæpè citata de Verit. art. 7. ad 1. quòd cæli habent solum pro obiecto aliquod bonum particulare sibi proportionatum. At nulla potest produci voluntas, quæ habeat pro obiecto adæquato bonum aliquod particulare. Et hac ratione licet corpora celestia sint indefectibilia in suis operationibus, fecus verò vlla voluntas creata seu creabilis. Per quod etiam patet ad confirmationem. Et si hoc argumentum cum confirmatione aliquid probaret, suaderet vtique, dari defectò naturam intellectualem ex natura sua omnimò impeccabilem, sicut defectò dantur cæli indefectibiles in suis operationibus, & natura bruta determinata ad bonum sensibile vt bonum. Neque ex hoc sequitur, prædictas naturas esse conditionis melioris natura intellectuali. Sicut enim (inquit D. August. lib. 12. de Civit. Dei cap. 11.) melior est natura sentiens, etiam cum dolet, quàm lapis, qui nullo modò dolere potest; ita rationalis natura præstantior est, etiam misera, quàm illa, quæ rationis, vel sensus est expers, & in quam proinde non cadit miseria.

43. Arguitur tertio: Nam ideò repugnaret natura intellectualis creata ex se impeccabilis, quia esset producta ex nihilo, quia non haberet in se omnem rationem boni, & tandem quia nequit esse sua regula moralitatis, sed nullum ex his capitibus suadet repugnantiam prædictæ naturæ: ergo potest Deus illam producere. Probatur minor quoad primum membrum. Tum, quia si produci ex nihilo esset ratio sufficiens præ-

dictæ

dictæ repugnantia, non posset adhuc per gratiam reddi impeccabilis, cum persisteret eadem radix. Tum etiam: quia gratia, charitas, & adhuc virtutes morales naturales sunt ex se indefectibiles, licet factæ sint ex nihilo. Quoad secundum membrum etiam probatur: nam Angelus in primo instanti non potest peccare; & tamen non habet omnem rationem boni: ergo. Quoad tertium etiam probatur: nam intellectus noster, & angelicus non sunt ipsa regula suæ operationis; & tamen intellectus noster non potest errare circa prima principia, vt dicit Arist. 2. Metaph. neque Angelus circa verum speculativum: ergo.

Et confirmatur: Nam Angelus ex se est impeccabilis directe circa finem naturalem; & tamen est productus ex nihilo, non habet omnem rationem boni naturalis, nec est ipsa regula moralitatis: ergo etiam potest produci natura intellectualis, quæ absolute sit indefectibilis.

Ad argumentum respondetur, concedendo maiorem, & negando minorem. Cuius probationes nihil conuincunt contra nos. Non prima, pertinens ad primum membrum. Nam estò gratia non reddat naturam creatam ex se impeccabilem, potest tamen impedire, ne defectibilitas oriatur, quæ ex natura sua petit oriri. Vnde estò non possit inferre à natura, quòd sit facta ex nihilo; potest tamen conuenire ipsam naturam cum summo bono & prima regula moralitatis; quod sufficit, vt reddat illam accidentaliter impeccabilem. Nec ob hoc patitur aliquam violentiam: quia impedire, ne oriatur à natura aliqua imperfectio, meliorando illam per communicationem alterius maioris perfectionis, non est inferre illi violentiam. Sicut impedire, ne à natura humana Christi Domini puluet subsistentia propria per communicationem alterius superioris subsistentia, non est inferre illi violentiam, sed elevare naturam.

Nec secunda, pertinens ad idem membrum; Nam licet gratia, charitas &c. sine facte ex nihilo, at tamen non versantur circa bonum in communi, sed sunt determinationes ad bonum morale, & participationes formales, vel virtuales Dei, & eius virtutum; ideoque debent infundere in operationem bonam moraliter, sicut ob oppositam rationem habitus pravus nequit elicere operationem bonam, quia est determinatio ad malum morale. At voluntas omnis creabilis ex vna parte petit esse ex nihilo, & ex alia non est determinata ad speciale bonum, neque est specialis participatio voluntatis divinæ, sicut nec defectò creata, & ideo petit esse defectibilis.

Probatio pertinens ad secundum membrum facile dispellitur. Nam estò Angelus in primo instanti non habeat ex se omnem rationem boni, petit tamen determinationem specia-

lem à summo bono: quia Deo auctori specialiter competit constituere naturam angelicam in actu primo completo, vt possit seipsum movere: sed quod requiritur, vt à Deo moveatur specialiter in prima sui operatione tam ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis. Sed de hoc operosius dub. seq.

Ad probationem, quæ pertinet ad tertium membrum: Respondetur, intellectum humanum ex se esse ipsam regulam radicalem in ordine ad attingenda prima principia naturalia: quia, supposita notitia terminorum, & habitu primorum principiorum, qui in primo instanti vsus rationis producit ab intellectu agente, manet determinatus ad versandum rectè circa illa. Idem dicendum est de Angelo circa verum speculativum: quia ratione suæ immaterialitatis maximè petit attingere comprehensivè & sine discursu omne verum speculativum: ideoque quod in nobis facit habitus principiorum circa ea, facit in Angelo scientia, quæ est eminenter habitus principiorum. Præterquam quòd vterque intellectus est determinatus prout sic ad aliquod obiectum particulare, non verò ad verum in tota sua latitudine: & sic potest retorqueri argumentum.

Ad confirmationem respondetur, quòd Angelus propter suam immaterialitatem petit habere virtualiter, & defectò habet principia indefectibilia circa bonum naturale: quia hæc ex terminis non excedunt exigentiam naturæ creatæ, cum sint ordinis naturalis. At determinatio connaturalis ad bonum supernaturale arguit infinitatem, ex eo quòd est supernaturalis, & nulla determinatio ad bonum supernaturale que est connaturalis substantiæ nisi divina.

DUBIUM IV.

Utrum Angeli peccare potuerint in primo sue creationis instanti?

HOC dubium merito proponitur immediate post præcedentia, quia etiam concludit, ad enucleandam peccabilitatem, aut impeccabilitatem Angeli. Sed ante eius resolutionem aliqua prælibare oportet, quod §. innedijate sequenti præstamus.

§. I.

Alique suppositiones.

44. S upponendum est primò (vt detur locus quæstionis, & ne hanc cum alia confundamus) Angelos non fuisse beatos in primo instanti suæ creationis beatitudine supernaturali vltima & perfecta. Ita D. Thomas in hac 1. part. quæst. 62. art. 1. Diximus super-